



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**F. Ioannis Andreae Copensteinii, Ordinis Prædicatorum
Theologi & Parochi Heidelbergæ Castigatio Apologiæ
Calvino-Catecheticæ**

Coppenstein, Johann Andreas

Moguntiaë, 1626

An Christus sit in cœlo, & alubi; ac quomodo?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35247

At Parochus, ait, implicat Contradictionem manifestam per hoc: Mors est transitus ad vitam: ergo non est Purgatorium. Iterum me tui pudet, ac miseret. Tu vtrumque asseris absolute; & erras: Ego prius distinguo, mediatè vel immediatè; idcirco esse Purgatorium credo: & tibi, non mihi, contradico Minister vane, aut maligne, aut cæce; qui adeo nihil aut vides, aut videre vis; vt manifestam falsitatem contradictionis de me assereret nil erubescas.

AD QUÆST. XLVI.

Quomodo intelligis istud: Ascendit ad Cælos?

MINISTER ad illud Catechismi: Christus de terra in cælum sublatus est, ait, ista additione Parochi, *Vi propria*, nil opus erat: & nos confitemur, atq; docemus idem.

RESPONDEO. Et nos scimus docere vos idem; vt qui (velut gloriose prædicas in præf. dedicatoria) Belgico-Heidelbergensi Catecheli: quotquot sumus Verbi DEI Administrari, propria manu, cum ad Ministerium admittimur, SVBSCRIBIMVS: atque adeo etiam qua in proxima Nationali Synodo Dorodræana anno 1619. post accuratum eius examen communi Theologorum, tan exteriorum, quam nostrorum, consensu est approbata, & speciali Decreto confirmata.

Scimus inquam; at quia verbum est passiuum, sublatus est, id volui per additiunculam, *Vi propria*, restringere: Non obstante, quod etiã S. Scriptura perinde ea in re passiuus verbis vtatur. Verũ hæc esse nemini suspecta debet: at Calviniana Catechesis priorum nemini non esse suspecta potest. Præsertim, cum etiam S. S. Trinitati, ac Christi Diuinitati tot Calvinistæ tam blasphemè derogent. vt patet in meo *Luthero-cal. par. 1. qq. 6. 7. &c.*

An Christus sit in cælo, & alibi; ac quomodo?

CALVINVS Instit. l. 2. c. 16. §. 14. Omnem Corporealem ac Carnis præsentiam Christi ademit Ecclesiæ: solam Spiritalem ac Maiestatis reliquit. Sui

præsentiam à conspectu nostro sustulit, non vt adesse fidelibus desineret; sed vt præsentiore virtute cælum & terram regeret. Sic & Instit. 4. c. 17. §. 26. 27. 32.

CLYBEVS Fidei G. neuen. ita habet, *In cælis confectus sedes, & ita in vnum locum inclusus, vt se inde commonere, ante iudicii diem, non possit. Et quid otiosus in terris degeret; cum nec docere hic possit, nec signa facere, nec sibi, nec nobis quicquam prodesse?*

MINISTER isti in Catecheli in cælum sublatus est; atque etiamnum nostra causa IBI DEM EST, & erit: additam hanc notulam disputat: *Vt tamen sit & alibi: præsertim in S. Eucharistia.* Statuit autem hanc thesin: Christum non esse secundum Essentiam sui Corporis præsentem nisi in Vno loco, in cælo, & ibi mansurum donec redeat ad iudicandum; docet Scriptura, & veri corporis humani natura.

1. Scriptura, Act. 3. *Quem oportet cælum suscipere, vsque in tempora restitutionis.* Ioan. 16. *Iterum relinquo mundum.* Math. 26. *Me non semper habebitis.* Col. 3. *Quæ sursum sunt querite, vbi Christus est.*

2. Natura corporis, seu essentialis proprietas est, vt sit visibile, palpabile, & *ædificator* eodem in & loco & tempore simul, ast ita Christi corpus est tantum in cælo. Ita & Patres, &c.

3. Omnia argumenta, quibus Pontificii contra Vbiq; itas vtuntur, æque valent ad probandum, Corpus Christi non posse esse simul in pluribus locis.

4. Et quidem Corpus Christi verissimè, realissime, que præsens est in S. Eucharistia; sed non per essentialem mutationem panis & vini in Essentiale Corpus & Sang. Christi: sed per modum Spiritualem atq; Sacramentalem. De quo *quæst. 75.*

RESPONDEO. I. Vniuersim. Corpus Christi in cælo corporeo palpabile adæquato spatio circumscriptum esse, docui in meo *Luthero-cal. par. 1. q. 68.*

Atque tamen si Christus Homo sit in cælo, vt regni throno; tamen etiam extra cælum corporali præsentia esse potest, vbi voluerit. Reliquit autem mundum secundum humanam conuersationem: de qua tamen essentialiter corporaliter præsens aiebat: *Math. ult. Hæc locus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum; aderatque idem ipsissimus; sed non modo priorre. Quare cum Essentia sui Corporis est in cælo localiter, & circumscriptiue: cum eadem est in Eucharistia Sacramentaliter: neque ideo deserit cælum, neque motu locali descendit. Hinc vt liqueat suasionum solutio.*

II. RESPONDEO tamen singularitim: AD I. *Oportuit suscipere vsque ad iudicium; non dicitur,*

tur, solum isthuc residere, & nullibi esse posse. Mundum relinquit; sed ut, cum voluerit, in eo essentialiter adesse possit. Me, visibilem, & opis humanæ indigum, qualis tunc erat Christus, cum ob beneficium Magdalenam id diceret, talem non semper habebitis Verbo, quæ loca Christi præsentiam allerunt in cælo, non negant eam & alibi esse posse essentialiter & corporaliter, licet inuisibili modo.

AD II. Ita quidem est natura corporis corruptibilis: at Christi corpus est glorificatum, esseque simul pluribus in locis potest. Vide in *Luthero calu. par. 3. q. 49.* Ita S. Patres ibidem: Si qui secus loqui videntur, quales allegat Minister; ad eos vna satisfacit generalis responsio: Quod loquantur de modo existendi in cælis speciali, quo tantum est in cælis; non de modo quo idem re & numero Corpus in indiuiduo esse simul in terris vere possit, ac solet.

AD III. Si Minister non imprudenter fallitur; profecto (sit venia Veritati) impudenter fallit. Ubiquitarij fingunt, Christi Humanitatem perinde ac Diuinitatem esse ubique: Bellarminus docet corporalem, essentialemque Humanitatis Dominicæ præsentiam solum esse certis in locis, etiam pluribus simul posse: idque ex Scripturis: ex symbolo, ex corporali præsentia Christi in Eucharistia; ex S. Patribus. Quam hæc procul abeunt ab audaci, an mendaci, pronunciatō Ministeri: Et citare capita Bellarmini audeat. Ea vide, age.

AD IV. respondebo infra ad quæst. 75.

AD QUÆST. L.

Cur additur: Sedet ad dexteram Dei?

MINISTER ad illud Catechesios: *Vt se sibi Caput Ecclesie sua declararet: disputa ex caluinaticam appendiculam hanc: Vitta meritum in terra.* Deinde, quia nihil in Catechico responso ad distinctionem addidi; omissionem sibi rapit in Confessionem meam, uti refutatam alias à me: ac inferat: Eo manifestè caput Ecclesie in terris non esse Papam, sed SOLVM Christum: contra Bellarminum, &c.

RESPONDEO ad posterius primum. Aperte

hic facetur, & Manifeste docet Minister se Caudatorem agere hic, uti pro more iam sæpius gnauiter præstitit sycophantam; ut eo delectari videatur: Id quod non est prudentiæ, sed argutiæ ac vafriciæ; non ingenij, sed maligni genij; non scientiæ, sed sophistiæ ac strophistiæ; non Theologi, sed momi & Archilogi; non Viri, sed de fece vulgi ac lannionis. Ex dictis, factisque tuis te iudico. Facere audes? Dicere audeo. Te tute; non me lædis.

Ad Rem. Dixi, docui: Ecclesie Caput in terris Inuisibile est Christus primarium: Papa, visibile & Vicarium ac secundarium. Ecce Confessionem meam, omnique Ecclesie Dei. Iam distinxi, quod isthuc omisi; quia superius distinxeram semel. Porro de priore Quæritur:

An Sibi etiam CHRISTVS aliquid meruerit?

CALVINVS Inst. l. 2. c. 17. § 6. *Scholasticorum non minus stulta est curiositas, quam temeraria definitio, ubi hoc idem asserunt.*

MINISTER. 1. Potest: si aiunt gloriam Corporis. &c. de gratia & gloria Anima dissentiant 2. Nos simpliciter cum Augustino dicimus: *Sipenam respicimus, Christus est similis latronibus; si causam interrogamus, respondebit, Propter Vos. Ira Ila 9. Natus est Nobis. &c. 2. Cor. 8. Propter nos egenus factus est. &c. Ambr. orat. de fide resurr. dist. 14. Si Nobis non resurrexit, utiq; non resurrexit, qui SIBI cur resurgeret, non habebat. &c.*

3. Bellarmino est omne præsidium in Phil. 2. PROPTER quod ET Deus exaltauit eum. &c. Et Heb 2. *Vidimus Iesum PROPTER mortis passionem, gloria & honore coronatum.* Quia Propter causam ubique significare solet scilicet meritum. At Falsum: nam sæpe etiam Finalem, effectum, consequentiam, teste Tho. Aquin. Rib. ra. &c. Deind. *ix. utiq; id est, donauit gratis, non pro merito.* Demum Heb 2. *Propter mortis passionem, refertur ad præcedens hoc, Inferior Angelis factus; non ad coronatum: teste Aug. contra Max. l. 3. c. 25.*

RESPONDEO AD I. Consentimus de merito corporis; de Anima, dissentiant à portionibus pauci, causa disputationis, absq; pertinacia, præiudicioque fidei & Ecclesie.

AD II. Verè propter nos primariò; propter se Hominem, consequenter de condigno, & excellenter. Sic & S. Ambrosius sentit, alijque S. Patres apud Bellar. l. 4. de Christo. c. 9.

AD III. Et